

dicto vicariatu quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Die 30. Sept. 1679.

(Anal. J. P. 1865 p. 1224 n. 2114.)

Spoletana.

S. Rituum Congregatio ad instantiam communitatis et publicorum repraesentantium loci Causarum Spoletanae Dioecesis inhaerendo aliis decretis emanatis declaravit Vicario foraneo ratione sui vicariatus nullam deberi praecedentiam circa praecedentiam controversam inter praedictos, communitatem et Vicarium foraneum in recipiendo candelas, cineres et palmas; et ita declaravit.

Die 20. Sept. 1687.

(Anal. J. P. 1865 p. 1291. n. 2338.)

Syracusana.

Saepe sacra Rituum Congregatio declaravit nullam Vicariis foraneis per dioeceses constitutis ratione sui Vicariatus hujusmodi super alios Presbyteros, Canonicos seu Clericos competere praecedentiam, praerogativam seu digniorem locum in Ecclesia, in choro sive in processionibus, sed illos debere inter Canonicos seu Presbyteros vel Clericos sui ordinis tam in Ecclesia quam in choro et processionibus cum habitu convenienti et in loco eis debito ratione antianitatis stare, sedere vel incedere, in quo starent, sederent vel incederent, si Vicarii foranei non essent, quod etiam in civitate Leonina Syracusanae Dioecesis et ubique servandum esse censuit et declaravit.

Die 7. Julii 1612.

(Anal. J. P. 1863 p. 125 n. 403.)

Lunen. Sarzanen.

S. C. resp.: Constitutiones synodales dantes praecedentiam Vicariis foraneis

supra sacerdotes antiquiores in ordine, non esse attentendas.

Die 16. Febr. 1636.

(Anal. J. P. 1863 p. 265.)

Vicarius foraneus ratione sui vicariatus nullam habet praecedentiam in choro, sessionibus et processionibus et aliis actibus et functionibus ecclesiasticis supra alios parochos, canonicos et presbyteros ipso antiquiores et digniores, sed debet ipse Vicarius foraneus stare tam cum cotta quam sine ulla, ubi staret etc. si Vic. for. non esset, non obstante quacumque ordinatione Episcopi in contrarium, praeterquam in Congregationibus, quae de mandato Episcopi singulis mensibus fiunt, in quibus tamquam Episcopi delegatus praecedere debet omnibus, non tamen in processionibus, missa et aliis, quae fiunt ante Congregationem. S. Congr. Rit. in Brundusina 17. Nov. 1600, in Oritana et Catan. ead. die et anno; in Marsicen. Spoletana et Bononien. 11. Apr. 1601, in Regien. 2. Mart. 1602, in Tropien. 25. Januarii 1603, in Neocastren. 12. Aprilis 1607, in Comen. Valevaliae 19. Mart. 1611, in Lucerina 24. Junii 1611, in Syracusana 7. Julii 1612, in Hydruntina Soleti 2. Mart. 1613, in Mediolanen. Cerbettae 3. Dec. 1616, in Campana Terrae Castri 7. Sept. 1618, in Spoletana Terrae Casciae 23. Martii 1619, in Salernitana 27. Mart. 1638, in Neritonen. 22. Dec. 1629 et in Tranen. 9. Apr. 1633 et saepissime alibi. Etiam quaecumque consuetudine contraria non obstante. Eadem sacra Rituum Congregatio in Syracusana 3. Junii 1630.

f) Residentiae locus.

Vd.: *Residentia parochi* (locus).

Vicarii foranei residere debent in locis, ubi constituti fuerint vel in alio

non multum distant. S. Congr. in Trojanen. 12. Dec. 1646. Locus autem debet esse equidem numerosus.

5) Generalis.

a) Annulus.

Vd.: *Annulus*.

Non potest Vicarius gen. uti annulo tempore, quo celebrat, licet sit Protonotarius apostolicus non participans. S. Rit. Congr. 11. Febr. 1623 apud *Gavant.* in Manual. Episcop. verb.: *Missae ritus* n. 12. et *Pellegrin.* in praxi Vicar. p. 1. s. 1. subs. 2. num. 12. et multo minus, si sit Canonicus cathedralis. Ead. S. Rit. Congr. 29. Nov. 1629 apud *Gavant.* loc. cit. n. 13. et *Pellegrin.* loc. cit. num. 12.

In decr. S. Congr. 4. Aug. 1663 dicitur, quod possunt Canonici Cathedralis Missam celebrare cum annulo aureo et de rigore uti, sed sine gemma et sine aliqua effigie.

b) Associatio et aspersio.

Cf.: *Aspersorium* (quibus non porrig.)

Non licet Vicario generali deductio ab ejus mansionibus ad Ecclesiam per Clericos et a porta Ecclesiae ad chorum per Beneficiatos nec administratio aspersorii per Canonicum.

N. 1765 die 7. Aug. 1655.

Vicario generali accedenti vel ad dandam Canonicis possessionem vel alia quacumque de causa praestanda non est honorifica associatio duorum Canonicorum nec ministrandum ad fores Ecclesiae aspersorium.

N. 4662 ad 2 et 3 die 17. Jul. 1830.

c) Benedictionis et reconcil. potestas.

Ebroicen.

Vicarius generalis Ecclesiae Ebroicen. ob continuam absentiam Episcopi

obtinuit superioribus annis indultum a fe. re. Paulo V. benedicendi vasa, vestimenta et ornamenta ecclesiastica et reconciliandi Ecclesias pollutas in absentia Episcopi ad triennium; quo jam finito petiit modo aliud simile indultum ad decennium et re ad hanc s. Congregationem remissa respondit: concedendum ad aliud triennium.

Die 6. Febr. 1627.

(Anal. J. P. 1863 p. 194.)

Vd.: *Reconcil. eccles.; Vasa s.; Supellectil.*

Praeter auctoritatem delegatam Episcopi debet Vicarius pro benedicendis paramentis sacris obtinere licentiam sacrae Congregationis Rituum, quae solet illam concedere in hunc qui sequitur modum. S. Rituum Congr. attribuit ad triennium N. Vicario generali N. facultatem benedicendi sacram supellectilem aliaque indumenta ecclesiastica, in quibus tamen sacra unctio non adhibetur et dummodo expressus interveniat ordinarii consensus etc. Rescribendo Episcopo sacra Rituum Congregatio facultatem indulgit reverendissimo D. N. moderno Episcopo N. ut subdelegare possit licentiam benedicendi sacra supellectilia ecclesiastica, in quibus tamen sacra unctio non adhibetur, ejus Vicario generali et aliis sacerdotibus suae dioecesis sibi benevisis in aliqua dignitate ecclesiastica constitutis etc. juxta decretum relatum a Gavanto in Manuali Episcoporum verbo: benedictio n. 5.

(Anal. J. P. III. Ser. 1858 p. 866.)

Non potest Vicarius generalis, etiamsi fuerit Episcopus, ex generali commissione sine speciali mandato Episcopi exercere ea, quae sunt ordinis episcopalis, ut: consecrare Ecclesias

et altaria, Chrysmata et Oleum sanctum conficere, Sacramentum confirmationis et ordinis conferre, calices consecrare et alia hujusmodi: *Rebuff.* in praxi benefic. tit. de Vicario n. 33. et num. 168. cum sequ., *Sbroz.* de Vicario episc. lib. 2. quaest. 5. n. 10. et q. 6. cum seq., *Azorius* part. 2. lib. 3. cap. 45. q. 9. et cap. 46. vers.: Confirmationes, *Ugolinus* de offic. et potest. episc. cap. 4. §. 7. n. 2. vers. 8., *Franciscus Leo* in thesaur. fori eccl. part. 1. cap. 12., *Barbosa* part. 8. de offic. et potest. episc. allegat. 83. cum aliis ibi citatis, *Pellegrin.* in praxi Vicar. p. 1. s. 1. subject. 2. a num. 1. ad 5. et alii passim.

d) In Capitulo.

Vd. p. 829 deor. n. 298. 1160. 1247.
Vicarium generalem, qui sit de gremio Capituli, acta capitularia subscribere debere in loco suae receptionis in canonicatu. N. 1148 die 16. Apr. 1639.

e) Celebrans.

Vd.: *Dignitas* (Celebrans); *Processio* (Dignitas); *Assistens*; *Vesperae*; *Bened.* (delegatio); *Missa priv. Abb.*, *Dignit. etc.*; *Vicar. gen.* (missa).

Vicar. gen. non potest baldachinum erigere, absente Episcopo, in Ecclesiis exemptis invitis Monachis. S. Rit. Congr. in causa Congregationis Casinensis 10. Julii 1621 apud *Pellegrin.* in praxi Vicar. p. 1. sect. 1. subs. 2. num. 11.

Neque potest absente vel impedito Episcopo facere functiones episcopales, sed spectat facere ad primam dignitatem capituli et successive ad alios. S. Rit. Congr. in Algaren. et Brundusina 20. Decembris 1661 et in Alatrina 22. Januarii 1618.

Neque potest uti Vicarius generalis missas conventuales aut pontificales

celebrare nec SS. Sacramentum aut sacras reliquias paratus deferre nec aliis se immiscere functionibus ecclesiasticis, sed tantum praeesse, ut omnia suo ordine fiant. S. Congr. Episc. 29. Septbr. 1627 apud *Barbosam* in summa dec. ap. coll. 715. num. 12.

Neque potest dare benedictionem Diacono, antequam cantet evangelium, neque benedicere praedicatori, antequam pulpitem ascendat. S. Congr. Rit. in Pacen. 17. Martii 1607 apud *Pellegrin.* l. cit. sub. n. 13. et *Barbosam* in summa dec. ap. coll. 715. num. 9.

f) Circulus.

V. g. non potest praetendere, ut ipsi missam solemnem cantanti assistant Canonici et faciant circulum ante ipsum. S. Rit. Congr. 8. Mart. 1595.

Vd.: *Circul.*

Maceraten.

Petit Vicarius generalis Maceraten. declarari, an ipse uti Vicarius possit et debeat cum Canonicis Cathedralis facere circulum ante Episcopum ad hymnum angelicum, Credo et Sanctus?

Et Sacra Congregatio respondit: Dignitates et Canonicos tantum debere facere circulum ante Episcopum et non alios.

Die 28. Septembris 1630.

(Anal. J. P. 1863 p. 223.)

g) Pro Dioecesi alteri unitae.

Ad dub.: An Episcopus Cariatens. teneatur deputare Vicarium gener. pro Dioecesi Geruntina?

S. C. C. resp.: In casu, de quo agitur, affirmative.

Die 2. Oct. 1706; 11. Febr. 1708; 18. Augusti 1708.

Et sub die 12. Febr. 1724 S. C. C. resolvit ad idem dub.: Standum in decisis juxta modum et modus est, quod Geruntinae deputetur ab Episcopo Vicarius denominative tantum generalis cum facultatibus concordandis coram Emo Praefecto, ita tamen, ut ab ejusdem sententiis appellatio interponatur ad Episcopum.

(Conc. Tr. C. 16. S. 24. De ref.)

h) Facultas reducendi vel suspendendi missas.

Ad dub.: An et quomodo Vicario generali, absente Episcopo, et Vicario capitulari, eo defuncto, sit concedenda facultas reducendi vel suspendendi missas in casu?

S. C. resp.: Juxta votum Eminent. Relatoris. Die 16. Aug. 1794. *Eclesien* ad VII.

i) Facultas sodalitates, viam crucis et altare privileg. erigendi.

Vd.: *Via crucis* (erectionis facult. etc., decr. pro Episcopo Gratianopol. et seq.; *Erectionis* modus ab Episcopo etc.)

k) Habitus.

Habitus vicarialem esse sublanam cum mantello et ideo Vicarium gen. Turritanum, nisi sit Praelatus, non posse uti subtana cum cauda et mantelletto. Et ita servari quibuscunque non obstantibus. n. 1202 die 4. Februarii 1640.

Vicarialem habitum esse sublanam cum mantello, talari et bireto; et Vicarium non Protonotarium nullo modo posse uti subtana cum cauda et mantelletto ut pluries declaravit S. C. n. 3234 ad 2 die 2. Dec. 1690.

Anagnina.

Precibus Sacerdotis Ant. Sibilia Canonici Cath. Anagninae et in prae-

sentiarum Vic. gen. in Civitate Ferentina exquirentis ut insignia concessa Capitulo Cath. Anagninae gestare etiam valeat dum choro assistit in memorata Civitate Ferentina sancta Congregatio rescripsit: „Juxta alias decreta incedere debere in habitu vicariali.“

Die 18. Febr. 1843.

Vd.: *Vicar. gener.* (Praeced. etc.)

l) Habitus in Synodo.

Vd.: *Vicar. ap.* (praeced.)

Vicarius generalis in Synodo dioecesana, si Protonotarius sit apostolicus, utitur vestibus hujus muneris, Rochetto scilicet et Mantelletto. Et si ea careat praerogativa, utitur vestibus, quibus per Urbem incedere solet. Si autem sit de gremio capituli, in missa et solemnibus supplicationibus utitur vestibus canonicalibus; in sessionibus vero synodalibus, illis depositis, proprias assumit. Bened. XIV. de Synodo dioec. l. 3. c. 11. num. 7. ex Gavanto cap. 13. num. 11. et 12.

m) Incensatio.

Nepesina.

Pro parte Episcopi Nepesini a sacra Rituum Congregatione quaesitum fuit: an suus Vicarius generalis, qui non est praelatus, sed in habitu suo ordinario cum subtana et mantello nigro, absente Episcopo, sedet in choro in primo loco supra omnes Canonicos in vespere et missis, quae in Ecclesia cathedrali celebrantur, absente Episcopo triplici ductu thuribuli sit thurificandus vel potius duplici? Eadem sacra Rituum Congregatio respondit: Vicarium praedictum, licet sedeat in choro supra Canonicos absente Episcopo, cum non sit praelatus nec paratus, sed in habitu ordinario cum

mantello et subtana nigra assistat divinis, non triplici sed duplici ductu thuribuli thurificandum esse censuit et declaravit.

Die 11. Januarii 1617.

(Anal. J. P. 1863 pag. 144.)

Vd.: *Canonici* (incens.); *Vic. gen.* (sedes, praeced.)

Vicarius thurificatur ante Canonicos sive Is, qui thurificat, sit Acolythus sive Clericus sive etiam Canonicus. Nam cum in missa unus ex Canonicis cantet Evangelium et ad illum spectet thurificare caeteros omnes Canonicos, debet utique thurificare Vicarium, qui praecedat Canonicos, et licet in praeteritum Vicarius non fuerit a Canonicis thurificatus ante Canonicos et ab eodem, qui caeteros Canonicos thurificare solebat. Num. 374 ad 1 die 15. Mart. 1608.

Ratione vero paramentorum Canonici parati debent thurificari ante Vicarium maxime si non utatur habitu Praelati, id est, Rocchetto et Mantelletto. *Ibid.* ad 2.; n. 2254 die 24. Novembris 1663.

Non debetur Vicario generali praecedentia in incensatione, quando Dignitates et Canonici sunt induti *sacris vestibus*. Num. 964 die 17. Julii 632; n. 2867 ad 2 die 26. Novembris 1678.

Canonicos sacris indutos ante Vicarium thurificandos. Num. 1906 die 13. Julii 1658.

Vicarius non solum post Canonicos sacris indutos et Sacrificii ministros, verum etiam post Canonicos sacris amictos apud stalla choralia existentes thurificari debet. Num. 1924 die 7. Sept. 1658.

Vicarium, licet sedeat in choro supra Canonicos, absente Episcopo, cum

non sit Praelatus nec paratus, sed in habitu ordinario cum Mantello et Subtana nigra assistat Divinis, non triplici sed duplici ductu thurificandum esse. Num. 527 die 14. Jan. 1617.

Vicario gen. non Praelato vel alias Protonotario apost. in habitu tamen praelatitio Divinis non interessenti nec absente Episcopo trini ductus thuribuli thurificationem competere sed tantum duplici ductu eum thurificari debere. Num. 1996 die 19. Julii 1659; n. 2783 ad 2 die 13. Junii 1676; num. 2797 ad 3 die 14. Novembris 1676.

Ad dub.: An assistens Vicarius gen. in choro in habitu praelatitio protonotariatus sit thurificandus triplici ductu etiam praesente Archiepiscopo ac etiam ante Canonicos paratos?

S. C. resp.: *Negative*. num. 2829 die 10. Julii 1677.

Vicarius Episcopi thurificetur pro consuetudine Ecclesiae. *Caer. Ep. l. I. c. XXIII. n. 29.*

Vicarium general. in habitu vicariali tam praesente quam absente Archiepiscopo thurificari debere ante omnes Dignitates et Canonicos. Num. 1112 die 9. Dec. 1638.

In concursu cum gubernatore et prioribus Civitatis Vicario generali debentur duas tantum thurificationes, nisi adsit consuetudo, quae tamen erit probanda. Num. 1294 die 2. Mart. 1641.

Minime ipsum Vicarium ante sed post assistentes Episcopo thurificandum esse. Num. 1755 die 19. Junii 1655.

Vicarius generalis interveniens choro praesente Episcopo est thurificandus eique pax praebenda ante Dignitates et Canonicos, dummodo Canonici non sint s. paramentis induti et exceptis

illis, qui assistentiam praestant Episcopo etiam choralis habitu induti. N. 4174 ad 1 die 3. Jul. 1745.

n) Indulgentiar. concessio.

Non potest de jure Vic. gen. sine speciali mandato Indulgentias concedere; arg. cap.: *Antecedentibus* 12. de excessibus Praelat. et ibi *Fagnan.* n. 17. cum pluribus aliis, *Card. Petra* tom. 3. Comment. ad Constit. 16. Alexandri IV. n. 26., *Barbosa* in Summa decis. apost. verb.: Vicar. gen. Episcopi etc. n. 90 cum pluribus ibi allegatis.

o) Jurisdictionem, non ordinem episcopalem exercere potest.

Vd.: *Vic. gen.* (bened. etc. p. 823.)

Jurisdictionem episcopalem, per Vicarium generalem exerceri valet, ex cap. *fin. ibique gloss. verb.: non possunt de offic.* Vicar. in sexto; *Pellegrin.* prax. Vicar. part. 1. sect. 2. subject. 2. sub num. 1. et num. 18.

(Ex resol. S. C. C. diei 24. Jan. 1801. *Lauden.*)

p) Licentiam Pontif. exercendi non concedit.

Vicar. gen. non potest concedere licentiam alteri Episcopo exercendi Pontificalia in sua dioecesi, nisi habeat ad id speciale mandatum. Sacra Congr. Concilii apud Barbosam in summa ap. decis. coll. 715 n. 16.

q) Missam privat. celebr.

Vicar. gen. non potest, quando celebrat, habere duos capellanos sive clericos, qui illi cum cottis inserviant. S. Congr. Rit. 7. Aug. 1627.

Neque in altari quatuor candelas accensas tenere, nisi hoc fieret in illo

altari propter solemnitatem diei festi. Ead. S. Rit. Congr. 7. Aug. 1627.

Neque potest sumere paramenta de altari, quia hoc facere solis Episcopis permittitur. Eadem S. Rituum Congregatio 7. Jul. 1712.

Nisi propter necessitatem ob loci angustiam id faciat; uti alii sacerdotes in simili casu faciunt et tunc ipsa paramenta non in medio altari sed in cornu Evangelii sumere debet, ut declaravit S. Rituum Congr. de die 7. Julii 1612.

Vd.: *Missa priv. Canon., Dignit. et Vicarii gen.; Vicar. gen.* (celebr.)

Pennen.

Archidiaconus Ecclesiae Pennen. s. Rituum Congregationi exposuit: Vicarium generalem ejusdem Ecclesiae fecisse ei praeceptum sub poena unciarum aur. 25. etc. ne audeat vel praesumat aptare, ponere nec aptari aut apponi facere credentiam seu mensam in cathedrali Ecclesia Pennen. nec in alio quovis loco tempore, quo ipse Archidiaconus celebrat missam solemnem, nec in dicta credentia seu mensa apponi facere calicem, patenam, candelabra, scottocoppe, luminaria etc., sed quia juxta rubricas missalis romani dicta mensa seu credentia non prohibetur, immo conceditur et permittitur in missis, quae solemniter decantantur, petiit declarari: An licite Vicarius dictam mensam seu credentiam prohibere potuerit?

Eadem Sacra Rituum Congregatio respondit: rubricas missalis servandas esse nec licere Ordinario seu Vicario prohibere ea quae juxta dictas rubricas missalis conceduntur, dummodo juxta formam et modum in dictis rubricis praescriptum praeparantur et ordinentur. Et ita declaravit et in civitate

Pennen. servari mandavit quibuscumque non obstantibus.

Die 4. Julii 1615.

(Anal. J. P. 1863 p. 137.)

r) Praecedentia, habitus, chorus, distrib.

Cl.: *Sedes Vicarii gen.*; *Praepositus.*; *Officium* (quod recitand.); *Capitulum* (praecedent.); *Purif. B. M. V.* (Ordo accip. etc.) *Dignitas*; *Parasceve*.

Vicarius praecedere debet omnes Canonicos, Dignitates et Archidiaconum. n. 17 die 17. Sept. 1591; n. 115 ad 1 die 9. Mart. 1597.

Praecedentiam semper dandam esse supra Dignitates et Canonicos Vicario generali *tam absente quam praesente* Episcopo. Num. 768 die 7. Augusti 1628.

Vicarium general. in processionibus ultimo loco incedere debere inter Canonicos seu Dignitates, dummodo non sit consuetudo in contrarium. n. 789 ad 3 die 20. Dec. 1628.

Vicario generali deberi in habitu *vicariali* praecedentiam supra Dignitates, Canonicos omnesque alios de choro tam intra quam extra Ecclesiam. n. 938 die 22. Nov. 1631; n. 954 ad 2 die 30. Apr. 1632.

Tum absente quam praesente Episcopo, dummodo Canonici non sint parati sacris vestibus. n. 1026 die 13. Sept. 1635; n. 1046 ad 1 die 6. Septembris 1636; n. 3234 ad 2 die 2. Decembris 1690; n. 1287 die 12. Jan. 1641; num. 1755 die 19. Junii 1655.

Vicario gen. nullam competere praecedentiam super Canonicos sacris indutos, quamvis ipse incedat in habitu Protonotarii. n. 1971 die 15. Febr. 1659; n. 3058 die 17. Junii 1684;

14. Junii 1608; 5. Julii 1614.; num. 2274 ad 1 die 24. Maii 1664.

Canonicus, locum Vicarii obtinens in Ecclesia Cathedr., si jurisdictionem habeat, praecedere debet omnes in eadem Ecclesia, etiam eum Episcopum, qui Suffraganei officio in Urbe fungitur, et alios quosque devotionis causa divinis officiis in choro interessentes. n. 74 die 8. Febr. 1594.

Vicario generali sede vacante tribuendum esse locum digniorem et praecedentiam in omnibus actibus tam in Ecclesia quam extra eam supra omnes Dignitates et Canonicos; non vero ad eum pertinere missas, ab Episcopo celebrari solitas, eo absente vel alias impedito, celebrare, sed ad Dignitates. n. 75 die 26. Apr. 1594; n. 2274 ad 1 die 24. Maii 1664.

Vicario generali convenire locum supra omnes Canonicos tam in congregationibus capitularibus et sessionibus, quam in processionibus, *dummodo Canonici sacris vestibus parati non incedant*. n. 159 ad 3 die 3. Aug. 1602; n. 2117 ad 2 die 2. Jul. 1661.

Vicarius gen. juxta declarationes S. C. R. tam praesente quam absente Episcopo in ecclesia, choro, processionibus, synodo et aliis publicis et privatis actibus, in quibus ipsi uti Vicario adesse contigerit, Canonicos et Dignitates praecedere debet, nisi tamen ii s. vestibus sint induti. Num. 2994 ad 2—5 die 22. Aug. 1682.

Vicario gen. in habitu vicariali tam absente quam praesente Episcopo (*nisi tamen consueverit sedere in sede et loco separato*) semper et ubique deberi praecedentiam supra omnes de Capitulo, dummodo hi non sint parati. *Si vero Vic. gen. sit de gremio Capituli*, sedere debet in loco suae receptionis, si vult distributiones lucrari. n. 3249 die 15. Sept. 1691.

Vicarius generalis praecedere debet omnes Dignitates et Canonicos, dummodo non sint parati et Vicarius non sit ex numero Dignitatum vel Canonicorum ejusdem Ecclesiae et velit tamquam Dignitas vel Canonicus in choro assistere, quia tunc sedere debet in stallo suae Dignitatis vel Canoniceatus. n. 192 die 12. Apr. 1603; n. 2161 die 9. Apr. 1661.

Vicarius supra Dignitates et Canonicos *paratos nullam* habeat praecedentiam sed tantum illis praecedat, quando sunt in habitu canonicali ordinario et *sine paramentis*. n. 216 die 6. Sept. 1603; n. 2066 die 12. Junii 1660.

Praecedentiam competere Dignitatibus et Canonicis paratis supra Vicarium gen. neque allegatam consuetudinem, immo potius abusum, illi suffragari. n. 605 die 24. Sept. 1621.

Vicarium incedere debere inter Canonicos digniori loco, quandocumque iidem non fuerint sacris vestibus induti; tunc enim Vicarius a *processionibus* abstinere debet vel post Episcopum incedere, nisi Magistratus sit in quasi possessione incedendi eodem loco immediate post Episcopum. Num. 1923 die 7. Sept. 1658.

Vicarium gener. Alexan. in processionibus debere incedere medium inter Dignitates, dummodo non sint paratae. n. 4128 ad 3 die 28. Julii 1742.

Vicarium generalem, quoties *ut Canonicus* in choro et in Capitulo seu aliis actibus interesse intendit in habitu et apparatu canonicali, in loco suae receptionis sedere aut incedere debere, quoties autem ut Vicarius vult praecedere Canonicos, habitum canonicealem dimittere debere. Num. 234 die 21. Febr. 1604; n. 664 die 21.

Novembris 1626; n. 910 die 22. Mart. 1631; n. 1013 ad 6 die 9. Decembris 1634; n. 1631 die 2. Mart. 1652; n. 1973 die 29. Mart. 1659; num. 2416 die 23. Julii 1667.

Vicarius distributiones quotidianas lucrari non posse, nisi in choro assistat cum cotta et habitu dignitati suae convenienti, prout assistunt caeteri Dignitates. Locum vero Vicarii, in quo tamquam Vicarius ad Officium et conciones sedeat, illum esse debere, quem idem Vicarius habet praesente Archiepiscopo, nec licere sibi sedem cum tapete et pulvino sericeis parare in loco, in quo sederet Archiepiscopus, si praesens esset. In processionibus vero, in quibus *ut Vicarius* in habitu suo ordinario incedit, praecedentiam ei debere super omnes alias Dignitates et Canonicos, etiam Protonotarium; sed quatenus etiam dentur distributiones Canonicis processionibus interessentibus, illas Vicarium lucrari non posse, nisi in habitu canonicali incedat. Num. 275 die 16. Julii 1605; n. 959 die 21. Junii 1632; n. 1180 die 17. Sept. 1639; n. 2407 die 2. Apr. 1667; num. 2821 die 3. Apr. 1677; n. 3022 die 22. Maii 1683.

Vicarium generalem praesente Praeposito et in omnibus *actibus capitularibus* et quandocumque distributiones quotidianas lucratur, debere stare vel incedere in suo stallo vel loco canonicali; absente Praeposito tamquam Vicarius generalis in primo et digniori loco. n. 298 die 4. Mart. 1606.

In actibus capitularibus non debetur praesentia Vicario gener. supra Dignitates et Canonicos antiquiores in canonicatu. n. 1160 die 23. Maii 1639.

In Capitulo Vicarium general. uti Vicarium non habere vocem, uti vero Canonicum non nisi in loco suae receptionis. n. 1247 die 7. Julii 1640.

Semper et ubicunque tam in sedendo quam in incedendo in processionibus et in omni loco et actione, ubi simul convenire vel incedere contigerit Vicarium in Spiritualibus et Gubernatorem civitatis Ravennaten., tam praesente quam absente Archiepiscopo, praecedentiam dandam esse Vicario juxta stylum et antiquam et laudabilem consuetudinem civitatis Ravennat. n. 340 die 28. Apr. 1607.

Debere Vicarium, si sit Canonicus, cum Canonicis in loco suo incedere et quatenus tamquam Vicarius funera defunctorum associare voluerit, nihil lucrari de cera seu aliis distributionibus, quae dantur seu dari solent Canonicis associantibus funera. Num. 380 die 10. Maii 1608.

Non convenire et amplius mandavit significari Episcopo S. R. C., ut amplius in futurum non faciat incedere suum Vicarium inter Dignitates et Canonicos paratos. n. 383 die 14. Junii 1608; n. 2783 ad 1 die 13. Junii 1676.

Vicarium generalem, cum sit Primicerius et tertia Dignitas Ecclesiae Lauretanae, nullo modo posse lucrari distributiones quotidianas nisi in proprio suo stallo et in habitu canonicali, quo similes ejusdem Ecclesiae Dignitates et Canonici utuntur, missis, horis canonicis etc. assistat. Caeterum, si tamquam Vicarius generalis in habitu Praelati primum locum supra omnes Dignitates et Canonicos habere contenderit, tunc nullo modo posse nec debere lucrari distributiones quotidianas. Num. 402 die 21. Mart. 1609.

Praecedentiam dandam esse Canonicis paratis nec convenire, ut Vicarius Canonicis paratis praecedat. Num. 423 die 6. Mart. 1610.

Spiritualis jurisdictionem temporali esse praefereendam et ideo Vicarium

gen. Episcopi in tota dioecesi praefereendum esse omnibus Commissariis et Potestatibus locorum dioecesis tam Sassoferati quam alibi. n. 427 die 15. Maii 1610.

Praecedentiam in omnibus dandam esse Vicario gen., quando *tamquam Vicarius* et non tamquam Canonicus in choro et actis publicis assistit. Quando vero Vicarius est Canonicus, non posse tunc lucrari distributiones quotidianas... nisi in habitu canonicali et in loco suae promotionis sedeat et assistat tamquam Canonicus, qui tunc Decano et aliis Canonicis dignioribus et antiquioribus locum digniorem et thurificationis et pacis honorem cedere debet. n. 430 die 7. Aug. 1610; n. 1112 die 9. Decembris 1608.

Praecedentiam debere Vicario generali supra Archidiaconum, quando intervenit cum habitu *vicariati*. Num. 1197 die 14. Jan. 1640; n. 1239 die 17. Julii 1640.

Vicarium general. debere praecedere Archidiacono in omnibus functionibus quando Canonici non sint parati. num. 1664 die 10. Maii 1653.

Vicarium praefereendum esse omnibus Dignitatibus ac Canonicis, qui sacris non sunt induti. n. 1910 ad 1 die 13. Julii 1658.

Vicarius generalis Bituntini absente vel praesente Episcopo semper debet praecedere supra omnes Dignitates et Canonicos, quando tamen non sint parati, etiamsi Vicarius sit unus de Canonicis et non incedat in habitu canonicali sed vicariati tam in choro, processionibus et sessionibus quam in omnibus aliis ecclesiasticis functionibus; et quando Vicarius gen. Canonicus incedit indutus hab. vicariati non debet gaudere distributionibus

quotidianis; et quando incedit cum habitu canonicali, debet sedere in suo stallo chori et in processionibus aliisque functionibus procedere in suo loco. n. 2755 die 28. Sept. 1675; n. 2797 ad 1 die 14. Nov. 1676.

Praecedentiam dandam esse Vicario gen. super omnes Dignitates et Canonicos, dummodo ipse Vicarius non sit de numero ipsarum Dignitatum et Canonicorum, quia tunc deberet sedere et incedere in loco suo, ut distributiones quotidianas lucrari possit, et dummodo Canonici non sint s. vestibus parati, quia tunc ratione paramentorum debet Vicarius cedere locum digniorem Canonicis paratis. n. 494 die 5. Jun. 1614.

Vicario gen. numquam (neque in choro neque in processionibus) competit praecedentia supra Canonicos paratos nec usus sacrar. vestium, nisi sit de gremio Capituli; et eo casu stare debet in loco suae receptionis juxta alias resoluta. n. 3234 ad 1 die 2. Dec. 1690.

Semper et ubique et in omni loco, tam praesente quam absente Episcopo, praecedentiam dandam esse Vicario gen. quibuscunque non obstantibus, dummodo non incedat in habitu canonicali, quatenus sit de gremio Capituli. n. 547 die 19. Aug. 1617; n. 1247 die 17. Jul. 1640.

Vicario, qui non est de Capitulo, non licere ultimo loco cum cotta praecedere et manere in choro inter Canonicos. n. 695 die 17. Jul. 1627. Vicario nunquam competere... usum Pivialis, nisi sit de gremio Capituli et in hoc casu debere incedere in loco suae receptionis, non obstante contraria consuetudine, quam abusum. n. 1943 die 7. Dec. 1658; n. 1973 die 29. Mart. 1659.

Si non adsit alius locus pro Vicario, Vicarium sedere debere in primo stallo, quia non per hoc dicitur occupare stallum Archidiaconi. n. 712 die 20. Nov. 1627.

Non convenire Vicario gener. praecedentiam supra facientem Officium sacris vestibus indutum. n. 990 die 17. Sept. 1633.

Ripana.

In causa praecedentiae inter vicarium generalem episcopi Ripani et commissarium ejusdem civitatis Congregatio sacrorum Rituum, Illmo Crescentio referente, inhaerendo decreto ab ipsa emanato sub die 28. Maji 1616 praecedentiam semper et ubique tam absente quam praesente episcopo competere vicario generali supra commissarium supradictum neque communitatem ad probandam praetensam contrariam consuetudinem admitti debere censuit.

Die 19. Jan. 1619.

(Anal. J. P. 1863. p. 155.)

Bituntina.

Pro parte Rmi Episcopi Bituntini supplicatum fuit pro declaratione: An vicarius generalis sive absente sive praesente episcopo tam in functionibus, quae fiunt in Ecclesia, quam in publicis processionibus praecedere debeat regio gubernatori et syndico civitatis? Et s. Rituum Congregatio respondit: Servetur consuetudo ecclesiae; et ita decrevit.

Die 17. Jun. 1679.

Anal. J. P. 1865. p. 1222. n. 2101.

Melevitana.

Licet contra capitulum ecclesiae Melitae ejusque archidiaconum digni-